

Titiri an Moelibaei, respondere non potest affirmative, sed nescio. At Suprema Inquisitio non ita interrogabatur: *Loca in quibus excipiuntur confessiones monialium etc. sunt loca destinata vel vera confessionalia?* Sed insuper et quatenus sunt vera confessionalia etc. ita ut omnino appareret, quaeri ab Rmō Formisano: an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium sint vera confessionalia. Atque hinc optime Supremi Inquisitores responderem potuerunt, ut reapse responderunt: *affirmative.* Citatum quapropter exemplum incongrue prorsus allegatur; quid enim si ita proponeretur, ut proponendum erat: *Cuium pecus? Titiri an Moelibei? et quatenus Moelibei, an etiam ex gr. canes sunt eius?* Ad quae si interrogatus respondisset *affirmative* dubitari ne posset pecus esse Moelibei?

Paritas insuper et ex alio capite nutat: *Etenim in allegato exemplo oves albae sunt Titiri, nigrae sunt Moelibei, ideoque duo sunt subiecta inter se omnino diversa, quae post convenientem scientiam duo omnino diversa exigunt responsa; at in dubiis Supremae Inquisitioni propositis unum est subiectum, scilicet loca in quibus excipiuntur confessiones monialium, de eoque unum explicite quaeritur: an sint vera confessionalia; quae igitur paritas cum allegato exemplo?*

Post haec obiter animadvertere putamus, cl. adversarium non de-

buisse responsonem Supremae Inquisitionis ex primo tantum dubio dimetiri, sed ex tribus; non enim respondit: ad primum dubium *affirmative;* sed ad tria dubia, prout proponuntur, *affirmative.* Demonstret autem, ex tribus propositis dubiis non percipi evidentissime, quae situm fuisse: an loca in quibus excipiuntur confessiones monialium habenda sint ut vera confessionalia; et Supremae Inquisitionis responsum veluti oraculum Delphicum simul traducemus.

Queritur secundo loco cl. Adversarius, a nobis redargutum fuisse quod pro sua adstruenda sententia immerito attulerit auctoritatem cl. D'Annibale, cuius, relate ad Commentarium, reapse usi sumus tercia Editione, in qua refert S. Officii decretum; relate vero ad Summulam usi sumus Editione II. an. 1882; diximus autem Rmū Assessorem tria loca diserte admittere, scilicet *Confessionalia, loca destinata, et loca electa.* Ne nimius simus, haec ex Commentario ejus exscribimus: « Verum ut videatur si mulare confessionem necesse est, ut specie tenuis, qua ali⁹ deci⁹ piantur, confessio agi videatur. Proinde necesse est ut stet (intelligat cl. Rota) vel in Confessionario, vel in loco destinato, aut electo ad audiendas confessions; utque nedum in hoc, et in isto, quod nemo dubitat, sed et in illo fingat se confessionem audire. » pag. 202-3.

Rmū igitur D'Annibale duo vel tria loca enumerat?

In Summula vero Part. III, pag. 180-81, utique duo enumerat loca, sed Confessionali evidentissime subintellecto; scribit enim: « Denique simulatione confessionis reus sollicitationis intelligitur si dum ambo fingunt confessionem agere turpia miscent, etsi id agant in loco vel solum destinato aut electo ad audiendas confessiones. » Quare in loco vel solum destinato aut electo nisi quia nulla in re est quaestio de confessionali, in quo satis est ut poenitens sistat genuflexus in loco consueto, quo simulatio confessionis intelligatur?

Id vero melius intelligitur ex subiecta nota 17. « Quibus autem opus sit, ut his in locis confes-sio simulari videatur, in facto non in iure consistit: » quae utique dici possunt de locis destinatis aut electis, non vero de Confessionali. Incassum igitur cl. adversarius relato testimonio innititur.

Clarissimo D'Annibale addemus clar. Aemilium Berardi qui in docto volumine *Praxis Confessoriorum*, quod post scriptam hanc Appendicem novimus, pag. 478 n. 558 diserte tria loca recenset, scribens: *casus esset, si Sacerdote stante in Confessionali, vel in loco destinato sive electo,* et ne putet adversarius noster, clar. auctorem confundisse Confessionalia cum locis destinatis, audiat quae scribit paulo post n. 559. Sed haec sententia

ni fallor, stare nequit. Tunc enim ad quid Pontifex tria illa loca designasset? Igitur iuxta Aemilium Berardi Benedictus XIV non duo loca sed tria designavit; verba ergo sive in loco ad confessiones audiendas destinato nostro Berardi non sunt declaratio vocis Confessionalis, sed designatio alius loci a confessionali distincti et ad confessiones audiendas destinati.

Idipsum vero patet ex testimonio cl. Giraldi ab adversario cit. in animadvers. pag. 205; in eo enim verum Confessionale vocatur tribunal ordinarium sacramentalis iudicij, quo praesente in locis destinatis, haec cessant.

Roncaglia autem Theol. mor. Tom. II, pag. 115, Q.VIII. « Quando oriatur obligatio denunciandi propter ea verba Constitutionis Gregorii XV. Extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessionem audire?

R. Praedicta verba tria loca, in quibus audiri possunt confessiones, designant. Primus est ordinarium Confessionale. Secundus, alter quicunque locus, ubi audiuntur confessiones; et ita se habent quae-dam cellulae etc. Tertius est locus quicunque extra praedicta ad audiendas confessiones a Confessario electus. » Nulla autem substantialis differentia est inter textum Gregorii XV, et textum Benedicti XIV.

Quid ergo de variis illis aucto-
ribus dicendum quos citat praestan-
tissimus adversarius qui loca desti-
nata et loca electa designant? Re-
spondemus, eos quidem sub locis
destinatis etiam confessionalia com-
prehendisse, quia etiam confes-
sionalia, et quidem principaliter, sunt
loca destinata ad confessiones au-
diendas; ex hoc autem non sequitur,
inter utrumque locum non dari di-
stinctionem et discrimen, et nomine
locorum destinatorum Benedictum
XIV explicare voluisse Confessio-
narii destinationem et usum, et non
loca diversa designare.

III. Sed tertio loco adversarius
noster nos, quamvis humanissime,
redarguit quod vitiose subiecerimus
conditioni logicae definitionem quam
ipse de confessionali tradit, quasi
nos eam partialiter retulerimus, et
non totaliter; quod crimen longe
certe fuit a nobis; retulimus enim
integralē definitionem confessiona-
lis quam ipse tradit charactere ita-
lico, vulgo corsivo; quae vero sub-
debat: *dicitur autem destinatus cu-
mulative tum ob formam quam prae-
fert etc.* non est definitio, sed de-
claratio definitionis; hanc igitur con-
vertere non debuimus, et optimo
iure nos adversarius redarguisset,
si convertissemus, cum declaratio
non sit definitio. Et cavissemus e-
tiam adiectam declarationem con-
vertere prout adversarius ipse con-
vertit ne imbecilliores videtur.
Etenim eiusmodi ab adversario no-
stro suggesta conversio: *locus qui-*

*libet ad confessiones audiendas de-
stinatus, destinatus tum ob formam
quam praeferit, tum ob habitualem
usum confessiones ibidem excipiendi
est confessionale;* nonne falsa est?
Etenim ex ea sequeretur, esse lo-
cum ad audiendas confessiones de-
stinatum seu confessionale illud in
quo habitualiter excipiuntur confes-
siones: ergo si confessionale aliquod
in ecclesia sit in quo usus habi-
tualis non intercederet excipiendi
ibidem confessiones, non esset con-
fessionale. Insuper quae est eius-
modi dictio: *Locus destinatus ob
habitualem usum excipiendi ibi-
dem confessiones?* Aliis praetermis-
sis, in confessionali proprie dicto
usus sequitur destinationem et non
facit; et tale est, quamvis nulla con-
fessio ibi exciperetur. Quid insuper
repetitum illud adiectivum *destina-
tus?* Et voluisse cl. adversarius ut
nos eiusmodi conversionem insti-
tuissemus? Ipse iudicet.

Ergo eiusmodi declarationis pars
non pertinet ad confessionale pro-
prie dictum: cum autem ad hoc
non pertineat, pertineat autem ad
loca destinata; ergo ipse adversarius
discrimen evidentissimum ponit
inter loca destinata et confes-
sionalia proprie nominis.

IV. Postremo loco cl. Rota do-
let quod nos iniuria scripserimus,
eum, dum respondit ad difficultatem
quam sibi proposuerat ex verbis
Benedicti XIV, et explicavit verba
*sive in alio loco ad audiendas
confessiones destinato,* respondisse

quod in quaestione versatur, pag.
207 IV.

Sed ut lectores cognoscant quan-
ta veritate id scripserimus, satis est
ut legant notam nostram pag. 183
atque eam conferant cum iis quae
scribit Adversarius in suo libro
pag. 179. Cum enim ipse ibi evi-
denter affirmaverit, Benedictum XIV
explicasse sensum vocis *Confes-
sionale*, hoc ipso affirmavit, iuxta Be-
nedictum XIV *Confessionale et loca
destinata* unum idemque esse sicut
unum idemque sunt definitio et
definitum.

Sed difficultas ab cl. Rota pro-
posita erat: Cur ergo in Bulla post
particulam *in Confessionale additur
illa: sive in alio loco ad audiendas
confessiones destinato?* Etenim etc.
Ad quae cum respondeat quae fide-
liter ex ipso retulimus, atque ipse
concedit, hoc ipso respondit quod
in quaestione erat.

At in animadversionibus pag. 208
haec subdit: « Quomodo illud re-
» spondeo quod in quaestione est?
» Si respondissē, particulam il-
» lam adiectam fuisse in Bulla ad
» declarandum confessionalia recen-
» seri debere inter loca destinata,
» tunc quidem incidisset in peti-
» tionēm principii, et id ipsum,
» quod in quaestionem venit, tam-
» quam certum obiecisset, sed
» aliud; ut patet, ego respondi. »

Attamen prorsus illud respondit,
scilicet, particulam illam adiectam
fuisse in Bulla ad declarandum *con-
fessionalia* recenseri debere inter

loca destinata. Affirmavit enim in
libro et loc. cit. Benedictum XIV
explicasse per verba *sive in alio loco*
ad audiendas confessiones destinato
sensum vocis *confessionale*; sed ex-
plicatio et res explicata unum idem-
que sunt; ergo hoc ipso quod cl. ad-
versarius hoc affirmat, affirmat in le-
ge Benedicti XIV *confessionalia re-
censeri* debere *inter loca destinata*;
haec autem erat quaestio et difficul-
tas ab eo proposita, et dissolvenda.
In animadversionibus vero pag. 208
nonne idipsum confirmat? cum e-
nim iterum affirmet *particulam il-
lam*, sive in alio loco ad confessiones
audiendas destinato, *minime reddi
otiosam*, *quia maioris declarationis*
*et omnis tollendae dubitationis gra-
tia adiecta fuit*; praemiserit autem:
*Quaestio nostra specialis hic et nunc
est: an superflua dicenda sit, et
reddatur otiosa in mea hypothesi
particula illa addita*, cum, inquam,
haec iterum affirmet, affirmat evi-
dentissime particulam *sive in alio
loco* etc. esse declarationem et ex-
plicationem vocis *confessionalis*, i-
deoque in lege Benedicti XIV non
tria loca designari, sed duo; quia
definitio et definitum, explicatio et
res explicata sunt unum et idem;
haec autem erat quaestio.

Cl. Rota ex vera definitione Con-
fessionalis exprimere conatur men-
tem et locutionem Benedicti XIV.
Cum enim Confessionalis sit locus
ad confessiones audiendas destinata,
inde arguit loca ad confessio-
nes audiendas destinata esse unum

idemque cum Confessionalibus. At Benedictus XIV per verba sive *in alio loco ad confessiones audiendas destinato* aperte indicare videtur locum alium, qui Confessionale proprie dictum non est; quod patet et ex adhibita antea voce *Confessionali*; et ex adhibito postea vocabulo *electo*.

Haec autem sunt, de quibus claris. Adversarius contra nos dolut; an iure Lectores iudicent.

Post haec afferre liceat discrimina nonnulla quae inter locum destinatum et Confessionale proprie dictum intercedere videntur.

Et 1. Nemo negare poterit, confessionalia proprie dicta esse loca destinata ad confessiones audiendas simpliciter et absolute, et per excellentiam, si ita loqui fas est; at alia loca nec simpliciter, nec absolute ad confessiones audiendas destinata sunt, cum ad alias etiam actiones peragendas adhibeantur. Eiusmodi autem differentia aliquod etiam discrimen constituit.

2. Usus Confessionalium proprie dictorum, si illa sanctimonialium etc. excipientur, universalior est quam usus locorum destinatorum. In illis enim excipiuntur confessiones quorumlibet, virorum et mulierum; in istis autem confessiones tantum virorum, et alicuius mulieris surdae, quod est per accidens.

3. Confessionale primo intuitu dignoscitur, ad quid inserviat, non item locus destinatus.

4. Dum agitur de simulatione

confessionis satis est ut quis sistat ad locum consuetum Confessionalis proprie dicti, ut illa intelligatur intercessisse. Sed in loco destinato requiruntur luculentiora indicia. Quare hoc, si inter utrumque locum nullum adasset discriminem?

5. Ipse praestantissimus Rota affirmat, Confessionale esse veluti genus, et loca destinata, sicut et loca electa esse veluti species eiusdem: sed inter genus et speciem dari discriminem logicum ipse non inficiabitur; et patet ex generis et speciei definitione.

6. In Enchiridion pag. 179 adversarius noster scribit: *poterat enim quis, si legislator non explicasset sensum vocis Confessionale, iudicare, quod in poenalibus non veniant loca destinata vel electa.* At praeterquam quod ibi Benedictus XIV locum a Confessionali diversum indicat, dato etiam quod adversarius affirmat; tale discriminem intercedere admittit inter confessionale et locum destinatum, ut hic comprehendere sub lege poenali non intelligeretur nisi de eo expressa mention fieret; sed si nullum discriminem aderat quomodo quis hoc putare potuisset?

7. Confessionale proprie dictum forma praescripta confectum et in Ecclesia collocatum, illico confessionale est, quamvis ibi confessiones non excipiuntur; at loca destinata ad confessiones audiendas talia non habentur, nisi ibi, ut scribit etiam ipsem Rota, Enchiri-

dion pag. 177 col. 4, *ex ordinaria consuetudine, et servatis servandis confessiones audiantur.* Ex quo sequitur 1° quod Confessionale proprie dictum tale est ex sola destinazione; locus destinatus non item, sed requiritur consuetudo ordinaria excipiendi ibidem confessiones; sequitur 2° quod in locis destinatis si confessiones audiri praetermittantur, cessant esse confessionalia, et ad summum evadunt, vel evadere possunt loca electa; vera autem confessionalia talia sunt semper, excipientur in eis vel non excipientur confessiones. Sed valde discrepat id quod tale per se et semper est ab eo quod tale nec per se, nec est semper.

8. Destinatio Confessionalium proprie dictorum fit auctoritate Superioris ecclesiastici; qui et formam praescribit, et collocationem in loco apto, qui plerumque est Ecclesia; loca autem destinata ad confessiones audiendas plerumque talia evadunt ex electione confessariorum, vel ex necessitate, vel aliis circumstantiis; ita ut initio nec destinata censeantur, sed electa.

9. Demum si in loco destinato Confessionale collocetur, cessat lo-

cus destinatus, ut patet ex iis etiam quae scribit Giraldi, cuius verba adversarius adducit; at si loca destinata ita vera essent confessionalia, ut nullum intercederet discriminem, id contingere non posset, cum aequales semper et ubicumque praerogativas suas servent.

Datur ergo discriminem inter loca destinata et confessionalia proprie dicta quale intercedit, si ita loquitur, inter Reges et Ministros, inter fontes et rivulos.

Exinde vero non negamus, loca destinata et loca electa in actu Sacramentalis Confessionis censenda esse vera confessionalia, quandoquidem Sacramentum poenitentiae quod in illis administratur sua iura servat veluti administraretur in Confessionali proprie dicto; at simpliciter, et absolute, remota scilicet actuali confessione, loca destinata, sicut et electa numquam vera confessionalia dici possunt.

Haec autem lectorum nostrorum iudicio humiliter submittimus. Eis autem commendamus lectionem, cit. operis *Enchiridion Confessarii et iudicis Ecclesiastici* ab cl. Archipresbytero Rota editi, quod plurima sapientia et eruditione praestat.

